

**Tractatus de salis cathartici amari in aquis Ebeshamensibus, et hujusmodi
aliis contenti natura et usu / [Nehemiah Grew].**

Contributors

Grew, Nehemiah, 1641-1712

Publication/Creation

Londini : S. Smith & B. Walford, 1695.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yrdth6y5>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

















25, 722/A

L. LXIII. 14

Mart. 27. 1695.

In Concilio Regiae Societatis Londini ad
Scientiam Naturalem promovendam institutæ.

Liber cui Titulus, *Tractatus de Salis Ca-*
thartici Amari, in Aquis Ebeshamensibus, &
hujusmodi aliis contenti, Naturâ & Uso; Au-
thore Nehemia Grew Medicinæ Doctore; Re-
giæ Societatis, & Regalis Collegii Medicorum
Londinensium Socio: Imprimatur à S. Smith
& B. Walford dictæ Societatis Typographis.

Robertus Southwel P.R.S.

Tractatum hunc, cui Titulus *De Salis Ca-*
thartici Amari, in Aquis Ebeshamensibus, &
hujusmodi aliis contenti Naturâ & Uso; Au-
thore Nehemia Grew M. D. Regalis Collegi
Medicorum *Londinensium*, & Regiæ Societati
Socio Dignum Judicamus, quî Imprimatur,

Datum ex Ædi-
bus Collegii
nostrî in Co-
mitiis Censo-
riis, Maij 3.
1695.

Johannes Lawson, Praeses
Samuel Collins,
Richard Torleß,
Edv. Tyson,
Martin' Lister, } Censores.

55886

TRACTATUS
DE
SALIS
CATHARTICI AMARI
IN
Aquis Ebeshamensis,
ET
HUJUSMODI ALIIS
CONTENTI
NATURA & USU.

AUTHORE
NEHEMIA GREW M.D.
Utriusque Regiae Societatis Socio.

LONDINI:
Impensis S. Smith & B. Walford ad Insignia
Principis in Cœmeterio D. Pauli. 1695.



СУТАДА
ЕКАТЕРИН
И
САНКТ-ПЕТЕРБУРГ
1800
WELLCOME LIBRARY

Inclytæ Celeberrimæque Utrique
REGIÆ SOCIETATI

Tam ILLI

Ad Scientiam Naturalem,

Quàm ALTERI,

Speciatim ad Medicinam Pro-
movendam Institutæ

NEHEMIAS GREW

S. P.

TRACTATUM sequentem,
Viri Præstantissimi, bibar-
titum offero. Cujus Partem pri-
orem, de Aquarium *Amarecenti-
am*, Salisq; earum Naturâ; jam-
dudum paratam habui tan-
quam Historialam, si Vobis
non displicerit, Materiæ Me-
dicæ Pandectis miserendam.

A. 3

Salem

Epistola Dedicatoria.

Salem prædicatum, olim ante
Annos Quindecim, in Solenni
Philosophorum Conventu, ubi
N. D. Vicecomes *Brounckerus*
tum præsidebat, palam exhi-
bui.

Deinde, & è Vobis, Doctissimi
Medici, nonnulli, etiam
propriâ Minervâ edocti, eun-
dem pararunt, usuique Me-
dicinali adhibuerunt.

Pars altera, de Aquarum,
Salisque earum Usu, multorum
Annorum Probationem, Me-
āmque Vestræ addendam, ex-
igebat. Quantus Is igitur U-
sus, in Morbis non paucis, eti-
am Gravioribus & Periculi
plenis, existuandus sit ; &
Vos,

Epiſtola Dedicatoria.

Vos, Dignissimi Collegæ, atq;
Ego tandem, Testes sumus.
An verò majorem promise-
rim, quām par videtur, penes
Vos, hāc in Re Experientissi-
mos, Judicium esto. Certè
adeò Universalis est, ut dum
Sal Communis Ciborum, Hic
Medicinæ Condimentum, me-
ritò nuncupari debeat.

In Recensu Morborum, ad
quos delendos præcellit; co-
aptare visum est pauca Medi-
camenta Auxiliariâ. Hoc nimi-
um Consilio, ne Medicastro-
rum more, Panaceam quandam
ostentare videar. Vix tamen a-
licubi Integralm descripsi Θεο-
πείαν. Quandoquidem hæc non
Tironum

Epistola Dedicatoria.

Tironum, sed jam Peritorum,
nempe procul à *Londino* Me-
dentium, in Usum tractaverim:
Quibus si indicavero Medicina-
menti Virtutes, haec tenus apud
Ipsos peregrini; haud Ingra-
tum Iis Me fecisse arbitrabor,
nec infeliter Reipublicæ con-
fuluisse. Et proinde Id, ex
aliquâ parte, quod etiam Ipsi
optatis, præstitisse. Quippe,
Qui Vestram Experientiam
aliis non invidetis; & Vosmet
Scientiarum, Humanæque Sa-
lutis, non Monopolas, sed Cu-
stodes profiteamini.

ELEN-

E L E N C H U S

C A P I T U M.

P A R S P R I O R.

De Salis Cathartici Amari

N A T U R A.

C A P U T I.

DE Modis, quibus Aquæ Cathartice
Amaræ primò innotuere.

C A P U T I I.

De Aquarium Catharticarum Amarescenti-
um Naturâ.

C A P U T I I I.

De Salis Aquarium Catharticarum Propriis,
hoc est, Amari Naturâ.

C A.

Elenchus Capitum.

CAPUT IV.

*De Salis Cathartici Amari, ab Alumine,
& Sale Muriatico seu Communi, Diffe-
rentiâ.*

CAPUT V.

*De Salis Cathartici Amari, à Salibus Ni-
trio, & Calcario Differentiâ.*

CAPUT VI.

*De Naturâ Salis Cathartici Amari, Obser-
vationes addendæ.*

PARS ALTERA.

De Salis Cathartici Amari

U S U.

CAPUT I.

*DE Salis Cathartici Amari Usu, ge-
neralius.*

C A-

Elenchus Capitum.

C A P U T I I .

*De Modo Salem Catharticum Amarum
præscribendi.*

C A P U T I I I .

*De Salis Cathartici Amari Uſu, ſpeciali-
ter: & imprimis in Ventriculi Morbis,
viz.*

In Dejecto Appetitu.

In Compescendis Vomitionibus.

*In Dolore Stomachi Colicæ Af-
fectionis æmulo.*

*In Calidâ Affectione Melancho-
licâ.*

In Cardialgiâ cum Calore.

C A P U T I V .

*De Salis Cathartici Amari Uſu, in Inte-
ſinorum, Partiumque adjacentium Mor-
bis, viz.*

In Colico Dolore.

Vermibus.

Dolore Nepbritico.

Urinæ Ardore.

Urinæ Suppressione.

Diabete.

Ictero.

C A -

Elenchus Capitum.

C A P U T V.

*De Salis Cathartici Amari Usu, in Morbis
Cephalicis, viz.*

In Mania.

Cephalalgia.

Vertagine.

C A P U T VI.

*De Salis Cathartici Amari Usu, in Mor-
bis quibusdam aliis, viz.*

In Passione Hysterica.

Artbritide Vagâ.

*Pruriginosis Affectibus &
Scorbuto oriundis.*

Item, Post exiccatas Variolas.

Et, Itinerantibus.

C A P U T VII.

*De Aquarium Amarescentium, Salisque
earum Abusu.*

PARS

P A R S P R I O R
D E
S A L I S
CATHARTICI AMARI
N A T U R A.

C A P U T I.

*De Modis, quibus Aquæ Ca-
thartice Amaræ primò inno-
tuere.*

AQuæ Minerales propè Ebe-
shamum in Surriensi Comita-
tu profluente, primæ omnium
B C a-

2 De Salis Cathartici

Catharticarum Amarescentium, circa Annum Millesimum Sexcentesimum Vicesimumque, indicante quodam Rustico, innotuere.

Primo ferè Decennio, Usum solummodo vicinis Rusticis, in lavandis Ulceribus, externum præbuerunt.

Deinde, N. D. Dudley North Baro *Anglicus*, Francisco non ita pridem Magni *Angliae* Sigilli Custodi Pater; cum Melancholico Temperamento laboraret, & Aquas Spadanas antea in *Germania* bibisset; inde monitus, harum etiam *Ebeschamensium* Virtutem experiri voluit. Scilicet, sperabat, ut opinor, Ferratas Aquas se etiam domi invenisse.

Quamvis autem, hâc in parte, Voto & Expectationi minimè responderent; Ipsum tamen sui Experimenti non pœnituit: postquam Aquas hæcce Purgatorias (veluti

Mc-

Medicamentum à Deo datum) multo cum levamine potâsset.

Hujus exemplo, & alii deinceps initati, Aquarium operationem tentârunt. Et cum primis, S. P. Maria de Medices, Caroli I. Magnæ Britanniæ Regis Uxori Mater: Nobiliss. D. Georgius Goring, Norvici Comes: aliquæ Nominis haud Vulgaris, quamplurimi.

Hi omnes, & alii quotquot Aquas biberunt, prædictos Fontes, nondum Voluptatis, sed Sanitatis gratiâ frequentârunt. Ideoque, vel à suis, vel aliis Medicis propinquioribus advocatis, bibendi Regulam acceperunt.

Exinde Medici hos Fontes, etiam suâ sponte adibant. Quorum Authoritate, in tantam Celebritatem elevati sunt; ut Duo Hominum Millia, ibidem uno Die, bibendum visendūmve convenerunt.

4. *De Salis Cathartici*

Postea verò, nempe Anno ab-hinc quasi Trigesimo, è *Londinen-sibus* plurimi, quorum ad Fontes accessum, Res vel angusta domi, vel importuna prohibebat; Aquam ad se inattendam curârunt.

Eâ freti occasione, nonnulli mag-nâ copiâ advectam, tam ægrè va-lentibus ipsis, quàm Pharmacopo-lis, venditârunt: quod etiam ho-die factum est. Nimirum, Vale-tudinariis, adeundi Fontes mos ob-solevit, non quòd ab hodiernis Me-dicis minus æstimentur; sed vel domi, vel etiam è Fontibus aliis, bibentium numerus, magis indies creverit.

Paucis enim post Annis, à Pri-mâ Fontium *Ebeschamensium* divul-gatâ notitiâ; ejusdem generis & alii, sive ab exquirentibus, sive fortuitò inventi, in mediocrem Famam atque Usum venere. Quorum Nomina, saltem præci-puorum,

puorum, hic proximè subjunxi.

Fontes	In Comitatu
Barnetenses,	Hertfordiæ.
Northavenses,	Hertfordiæ.
Aetonenses,	Mediosaxonum.
Cobhamenses,	Surriensi.
Dulvicenses,	Surriensi.
Strethamenses,	Surriensi.

Præter hos, & posthac alios, adhuc ignotos, excitata multorum Curiositas, forsitan duplo plures invent. Præcipue suffulta isthoc Indicio, Quod Aquæ Dulces, ferè è Montium Jugis; Hæ, plerunque, ex imis Radicibus scaturiant.

B 3 CAPUT

6 De Salis Cathartici

CAPUT II.

De Aquarum Catharticarum Amareſcentium Naturâ.

HUJUSMODI AQUÆ, SAPOREM quidem mediocriter, sed tamen sensibiliter Amarum, præferunt: vix quenquam alium.

Sunt qui in suis Itinerariis, de Fontibus Amaris prope Syriam & Egyptum, mentionem fecerunt. Et S. Jacobus, in Catholicâ suâ Epistola, Fontes innuit, Dulces Amarosque, æquè bene notos fuisse Orientalibus. Qui omnes Amari, & hoc forsan sunt referendi.

Hujusmodi Fontes, neque Amaritydine, neque Virtute, inter se æquales sunt: sed alii aliis paulò sunt fortiores. E fortiorum numero,

Dul-

Dulvicenses rectè aestimantur; è lenioribus, Ebeshamenses.

Istæ Aquæ, in suis Fontibus, sunt omnino inodoræ. Attamen in Vasis coopertis, dies aliquot vel septimanæ, præcipuè aestivo tempore, conservatæ, cum fætore putrent. Quod & Aquis ferè quibuscumque contingit; nonnunquam etiam Fontanis, in Navibus appropinquantibus Äquatori.

Eadem Aqua, Syrupi Violacei tantillo affuso, Colorēm ejus cæruleum conservat; non aliter, quam ex quavis ferè Fontanâ, immutatum.

Ex Aqûâ autem Calcis adjectâ, colore quodam Glauco & Semiperispicuo, veluti ex guttis aliquot Laetis instillatis, hæc Aqua subalbescit. Partésque albicantes, post horam circiter, coaguli quasi nebulosi formâ subsidunt. Nimirum, ex Salis Calcarii Lixivialis, & Salis

8 *De Salis Cathartici*

Aquæ Catharticæ potentia Acidi,
unione, geniti.

Eadem Aquæ universæ, dum
ebulliunt ferventve, Lac affusum
coagulant. Minime autem, si fri-
gidè misceantur.

Aqua cujuscunque Fontis Cathar-
tica Amara, in Vase Vitreo, Vi-
treato, vel aliò quovis convenienti
evaporata; quendam Cremorem ejus
superficiei innatantem, atque etiam
Sedimentum præbebit: viz. utrius-
que simul sumpti Drachmas Sex,
Octo, vel Decem circiter, ex singu-
lis Aquæ Congiis.

Iste Cremor, totâ suâ substantiâ,
colore cineritio, Lapideus est; &
quodammodo Gypseus videtur.
Calcarius, certè non omnino. Quip-
pe, notissimum est, Lapidem Cal-
carium ustum, ex Aquâ communi
affusâ, etiamsi frigidâ, incallescere,
halitumque multum emittere & o-
pacum, & cuicunque Humani Cor-
poris

SSUPA

poris Parti impositum, adurendi vim obtainere; ideoque à Chirurgis, Caustici Potentialis loco usurpari. At prædictus Cremor, in Crucibilo pariter ustus, ex Aquâ Affusâ, neque gignit halitum, neque Calorem concipit; imò verò, neque Linguam ipsam, tenerrimam Partem, quidquam afficit.

Nonnunquam, ut ex Aquis *Aelonensibus*, Laminis, quibus constat, minutissimis resplendet. Idem equidem friabilibus, atq; prorsus insipidis, etiamsi ustis, ut supra dictum est: Liquore tamen quovis Acido, & maximè Spiritu Nitri affuso, cum fervore quodam ebullitionem excitantibus.

Sedimenti pars minor, substantiâ similis est jam supra descriptio Cremori. Reliqua, purè Salina est; sed è duabus Salis speciebus composita: altero Muriatico, altero harum Aquarium Proprio seu

De Salis Cathartici

Speciali; cuius h̄ic imprimis Naturam & Virtutes monstrare proposui.

In Aquâ *Ebeschamensi*, Sal Muriaticus, est quasi Vicesima pars totius Salini compositi. In *Dulvicensi*, majorem proportionem obtinet: quemadmodum & in plerisque supra memoratis.

Tam sapore Acri, quam Crystallorum Figurâ, Sali communi non assimilis est. Unde sit, ut Aquæ, hoc Sale parcit imbutæ, pacaciùs alvum subducant.

Alter Sal, Aquarium Catharticarum, ut diximus, specialis est sive Proprius. Eodem modo fit, quo Sal quivis Lixivialis: nimirum, evaporando, filtrando, & crystallizando; solâ Calcinatione omissa. In hâc Præparatione, pri-

mò

Amari Natura. II

mò , pars Terrestris sive Gypsea,
ab ipsâ Salinâ ; deinde, Sal Muria-
ticus, Liquórque fulvus & opacus,
à Sale Aquarium proprio, sunt secer-
nendi.

Natura.

CAPUT

C A P U T III.

De Salis Aquarium Purgantium Proprii, hoc est, Amari, Naturâ.

HI C Sal, si modò perfectè paratus fuerit, è Cœlo recèns delapsæ Nivis instar, pulcherrimo Candore prælucet.

Delibatus dum in suâ formâ siccâ, eodem Amaro Sapore, atque Aqua ipsa, & multò evidentius, imprægnatur. Quâdam etiam Pungentiâ, valde quidem penetrabili, sed sine Acrimonîa, acuitur.

Sin autem Drachmæ pondere, vel plus minus, in Aquæ communis librâ, hoc est, cädem proportione ac in suâ subterraneâ, solvatur: ista communis Aqua, ut eandem

andem Lac coagulandi proprietatem obtinet ; ita & eodem prorsus, Sapore, penè simpliciter Amaro, eademque Catharticâ virtute , ac Aqua hujus Salis propria seu Mineralis, nobilitatur. Ideoque, ab isto Sale, quem Mirabilem vocant, nempe ex Oleo Vitrioli & Sale communis factitio ; & ab omnibus aliis Salibus, *S A L I S C A T H A R T I C I A M A R I* Titulo, non ineptè distinguitur.

Hic Sal Catharticus Amarus , pro variatâ suæ Aquæ coctæ assumptione, & frigoris cui postea exponitur aucto gradu, atque aliis Circumstantiis ; sub formâ Crystallorum, nunc majorum concrescit, nunc minorum. Figurâ tamen, cuicunque dimensioni conjunctâ , ferè similium. Pleraque enim Crystalli, si rare concrescant, Prismata sunt minuscula, Planis quatuor Parallelogrammis Rectangularia : binis oppositis

14 *De Salis Cathartici*

oppositis minoribus paulò compres-
sa. Interdum duobus aliis Planis Pa-
rallelis Sexangularia : adeò autem
pusillis, ut Oculorum aciem fere
effugiant. Longitudine, plus mi-
nus semiunciali, Crassitatem quin-
quies, sexies, vel etiam septies
excedente. Basi, Salis ejusdem ge-
neris Moleculâ, Suffultâ. Summi-
tate, Planis Inclinatis plurimum
variata; interdum Trinis, ple-
runque Quaternis, cum prædictis
Parallelogrammis obtusos Angulos
facientibus, vel mucronatâ, vel ut
sæpius, ScalPELLi more, acuatâ.
Quorum in summitate Planorum
unum, tribus reliquis simul sum-
ptis ferè majus & Pentangulare,
vel Sexangulare: oppositum, qua-
drangulare, vel pentangulare; duo
reliqua triangularia, atque minuti-
ora; interdum, sine Vitro Lenti-
culari vix perspicienda.

Hæ

Hæ Crystalli, suâ Elongatâ Figurâ, Sali Nitro; Rectangulari, Muriatico; propriùs quàm cuiquam alii, accedunt.

Sal idem Catharticus Amarus, Aquâ communi solutus, & in Vase Vitreo diebus aliquot manere permisus; super Vasis ambitu, quâdam quasi ramificatione, Arbustulorum formâ circumcirca concrescit. Quali Figuræ generandæ, hujus Salis jam supra descriptæ Crystalli, ut & Salis Nitri (quarum nempe Summitates nunc Angulis Rectis, nunc Acutis, terminantur) aptæ natæ sunt: unius scilicet Crystalli Plano Inclinato, ad alterius Parallelum apposito. Id quod etiam in Generatione Foliorum, ex fuorum Salium Figurâ effectum monstravimus. Ubi id obiter notandum, Me in illa † Exercitatione, Salis Nitri, & reliquo-

† Plant. Anat.
Lib. 4. p. 1.
cap. ult.

rum

16 *De Salis Cathartici*

rum Figuras, non usquequaque ut à Nobis conspectæ, sed quales forsan existunt in ipsis Plantis, exhibuisse.

Salis Cathartici Amari quinque Drachmis Phialæ inditis, affunde Aquæ communis semiunciam; & agitentur fortiter. Hâc solâ agitatione, & leni manûs tractantis hyberno calore, Salem brevi omnem, exceptis aliquot granis, Aqua imbibit. Utpote, Salibus plerisque aliis, longè magis solubilem.

Quin & propriâ seu speciali suâ Gravitate, hoc est, suæ Moli comparatâ, ab omnibus aliis Salibus diversa est. Alumine gravior; Sale communi multò levior; Atque etiam Nitro, ut inferius Capite quinto videbitur.

Hujus Salis, & Salis Tartari, vel cujuscunq; Lixivialis aut Urinosi Liquamina confusa, coagulum album generant;

generant; sive Salem quendam Neutralem, neque hujus neque alterius saporem, sed quodammodo Astritorum, obtinentem.

Oleum Vitrioli fortissimum & recenter paratum, huic Sali Ca-thartico affusum, mediocrem ebullitionem excitat. Unde & Principii Alkalini, ejusdemque potentia suo modo Lixivialis, particeps est.

Quemcunque autem alium Liquorem, quantum sciverim, sive Alkalinum, sive Acidum, Sali praedicto instillaveris; exinde nullatenus movetur, vel incalescit.

Idem Sal in Ignem satis luculentum cum Crucibulo immissus, aliquo modo, scilicet Aluminis instar, liquecit; & in albæ, porosæque seu bullatæ Calcis speciem extumescit.

Attamen

18 *De Salis Cathartici*

Attamen ista Calx , ex omni ferè parte , excepta forsan totius quadragesimā, in Aquæ communis sufficienti quantitate est resolubilis. Lapis autem Calcarius, haudquam similiter.

Eadem Calx , calore satis vehementi per horam in Crucibulo ignita ; Alabastritis ferè duritatem acquirit. Neque deinceps Aeri exposita, quidquam mollescit. Multò minus, Calcarii Lapidis usi modo, in Pulverem resolvitur.

Ex hâc Ignitione , etiamsi aliquantum sui ponderis , Amaritudinis tamen nihil amittit ; sed & auctam retinet.

Hæc Salis Cathartici Amari Calx, ex Spiritu Salis , aut alio quovis affuso Acido , Ebullitionem concipit ; pro affusi Spiritus potentia , magis minusve conspicuam. Unde & existimandus est, quodammodo Lixivialis.

Ex

Ex hujus Salis Librâ, Vesicæ
Vitreæ Retortæ, Lutóque obductæ,
indirâ, atque Igne Reverberatorio
distillatâ; cuiusdam Spiritûs Acidi,
Odore Saporéque, ex aliquâ parte,
Spiritûs Salis communis æmuli,
paulò supra semilibram in Recepta-
culo invenies.

Oleum Vitrioli, Spiritui Salis
communis affusum; Vaporem
quendam opacum & fumosum ge-
nerat. Quod etiam contingit ex
eodem Oleo, si sit fortissimum,
hujus Salis Cathartici Spiritui in-
stillato.

Notissimum est, Aquas Ferratas
Acidulas quascunque, ex Gallarum
Infuso purpurascere. Quid etiam
Vini albi Aceto contingit; sed ob-
scurius. Idem tamen Infusum, ex
Spiritu Salis Cathartici, quamvis
acido, haud immutatur: Quin ne-
que Spiritu Sulphuris, aut Oleo
Vitrioli. Unde horum, aliorum-

que

Ex

20 *De Salis Cathartici*

que Acidorum Natura dissimilis,
ut & multis aliis modis, indica-
tur.

Aquam fluvialem Poculis Octo
Vitreis infusam, ex guttis aliquot
Syrupi Violacei instillatis, cæruleo
colore imbui. Quorum Poculo-
rum unum, absque aliâ re quâvis
superinjectâ, manere permisi. A-
lli, Salis Nitri aliquantum addidi.
Tertio, tantundem Salis Cathartici
Amari. Quarto, Calcis vivæ In-
fusum, Aquâ communi paratum,
vulgò, Calcis Aquam, immiscui.
Quinto, Salis Cathartici Calcis
Liquamen. Sexto, Infusum Tar-
tari albi. Septimo, Salis Cathar-
tici Spiritum Stillatitium. Ulti-
mo, tam Salis Cathartici, quàm A-
quæ Calcis, parum.

In Tribus prioribus, Cæruleus
Color, sui similis perduravit; o sub-
sequente ejusdem Coloris solâ re-
missione.

In

cup

In Quarto & Quinto, Color Cæruleus in Viridem confessim immutatus fuit : Sed in priore, quodammodo turbidum & pallidorem ; in altero, Smaragdini instar, pleniorem & valde perspicuum.

In Sexto & Septimo, transiit in Purpureum : in priore, quidem obscurum ; in altero, verè Amethystinum.

Color autem Viridis, qui in Quarto & Quinto, post transactum quasi Trihorium, evanuit ; in Ultimo, & multò Intensior est, & durabilior.

E prædicto multiplici Experimento, observare est, quod Nitrum, etiamsi deflagratione, Salem Fixum, eundemque Lixivialem præbeat, & distillatione, Spiritum Acidum : quandoquidem tamen, neque Lixiali neque Acido Sapore prædictus sit ; ideo Colorem neque Viridem,

22 . *De Salis Cathartici*

dem, neque Purpureum Syrupo superinducit. Et ex pari ratione, idem de Sale Cathartico Amaro sentiendum est: eumque ex Principiis, solummodo potentia Acidis, atque etiam Alkalinis seu potentia aliquo modo Lixivialibus, constare.

Quod autem ex utroque istiusmodi Principio re vera constet; ex ejus Spiritu, Acidum Saporem obtinente; & ex ejus Calce, Viridem Colorem (Aqua Calcis a liorumque Liquorum Lixivialium more) Syrum tribuente, monstratur.

Et in Ultimo Poculo, Color idem Intensior est, & Durabilior; quod ex duplicis Salis Lixivialis, tam Cathartici quam Calcarii (ut Atramentum ex duorum Astrigentium) combinatione, proveniret.

Pa-

Patetque horum Salium existentia, & in transmutandis Coloribus efficacia, non penitus & ex omni parte ab Igne pendere; quod Tartari albi Infusum, pariter ut Cathartici Salis Spiritus, eodem Purpureo Colore Syrupum imbuat.

Postremo loco, id notandum, Me Salis Cathartici Principium Alkalimum, potentiam, & aliquo modo, Lixiviale vocasse. Neque enim, ut in hoc Capite antea monuimus, in ipsa hujus Salis Calce, sapor Lixivialis sentitur. Id tamen non obstat, quin ex aliis superioribus allatis Experimentis, Sal Catharticus, adhuc Igne intactus, ex aliquam parte Alkalinus; calcinatus vero, suo modo Lixivialis, probetur: Etiamsi, Lixivialis, nomine non prorsus adaequato, dicatur; nec forsitan quoquam alio, usu comprobato. In nullam enim re aliâ,

magis

24 *De Salis Cathartici*

magis curta habetur Vocabulorum
Supellex, quām in Philosophiā : eā
scilicet, quæ velut Pedissequa Na-
turæ, mirandæ ejus ubique varie-
tati, scrupulosissimè advertit.

C A P U T

CAPUT IV.

*De Salis Cathartici Amari, ab
Alumine, & Sale Muriatico
Differentiâ.*

EX allegatis Experimentis, & jam proximè allegandis, probè intellectis & comparatis, patebit; Salem Catharticum Amarum, etiamsi nonnullas aliorum Salium qualitates communes habeat: ab omnibus tamen aliis Salibus, re verâ five specie differre.

Quamplurimi, ex Minerâ quadam Aluminosa, generatum autumant: sed hoc insulfè. Unde enim id probari potest? Quod Lac coagulet? Minimè. Nam & eodem Argumento, scilicet maximè irriendo, Acetum, Vinum, Cerevisia,

C &

26 *De Salis Cathartici*

& quæcunque Lac coagulant, essent
Aluminosa.

Neque inde, quod, Aluminis in-
star, bullatim elevetur, dum liquef-
cit. Nam in Borace etiam lique-
facta, simillima elevatio contingit.
Borax tamen Lac non coagulat:
ideoque non est Aluminosa. Ne-
que est proinde Sal Catharticus
Amarus.

Porrò, ex Aluminis 3j. per se-
mihoram in Crucibulo ustâ, Calx
semiunciali pondere manet residua.
Huic Calci, Aqua Communis quan-
titate sufficienti affusa, donec partes
Aqua resolubiles absorberet; Ter-
renæ substanciali simplicis & insipi-
dæ, plus quam Duo & Quinqua-
ginta Grana in Vase subsidunt:
quæ Salis Cathartici Calcis pariter
solutæ Sedimentum, sex vicibus su-
perant.

Neque

Neque Aluminis Spiritus Igne
forti distillatus, Spiritui Salis Ca-
thartici Amari quoquam modo af-
similatur. Cum & acriori Sapore
præditus sit, & multò minus gra-
to. Odore autem, quod præcipue
observandum est, planè fœtido :
nimirum, Sulphuris Spiritui vero,
Germanicè Gass dicto, seu Sulphuri
liquefacto & flammanti, similli-
mo.

Adde, & ipsius Aluminis Sapor,
à Salis Cathartici Sapore, adeò
distat, ut nihil supra. Iste enim,
cum nullatenus sit Amarus, sed
planè Acerbus; hic, nullius Acer-
bitatis particeps, prorsus est Ama-
rus.

Quin & suis sibi propriis Figuris
omnino distinguuntur. Nam Alu-
minis, factitii scilicet, Crystallus,
secundum suam Altitudinem medi-
ocriter compressa, octo Planis com-
prehenditur. Duobus, Imo &

C 2 Summo,

28 *De Salis Cathartici*

Summo, Sexangularibus & Parallelis. Quorum singulorum Planorum Latera majora & minora, ita alternatim sunt composita, ut Tria majora, Tribus minoribus opponantur. Sex circumpositis Quadrangularibus, Lateribus Angulisque inæqualibus, majoribus versus Crystalli centrum, minoribusque, vicissim inclinatis. Quām longè autem supra descriptæ Salis Cathartici Crystallorum Figuræ hæc sit absimilis, ex factâ comparatione videre est.

Neque magis Sali Muriatico seu communi, Sal idem Catharticus adnumerandus est. Utpote, si purè paratus, ab hoc, æquè ac ab Alumine, Sapore remotissimus.

Atque etiam Figurâ: quòd Muriatici Salis Crystalli, non elongatae sint, sed in formam Cubicâ paulò submissiorem, depresso.

Porrò,

Porrò, Sal Catharticus, forti Ig-
ni in Crucibulo admotus, Vapo-
rem invisibilem, & vix ultra dimi-
diatam sui Partem, emittit. Sal
autem communis similiter ignitus,
ut longè majori fluiditate liquefcit;
ita & Vaporibus, fumi instar, opa-
cis, ascendit: parte totius, vix deci-
mâ & octavâ in Crucibulo rema-
nente.

Neque verò (quod forsan mirum
est) Spiritus Salis communis, pari-
ter ut Spiritus Salis Cathartici A-
mari, Lac coagulat. Id equidem
non est negandum, Spiritum Salis
Communis, Lac merum dum ebu-
lit, coagulare, etiam mediocri pro-
portione affusum. Ne itaque fal-
aciis innitar, sequentem experiundi
Methodum elegi.

Aquæ fluvialis Libræ, Salis Ca-
thartici Amari Drachmâ impreg-
natæ, & bullienti, tria quatuórve
Lactis Cochlearia adjeci; & per-

C 3 misi

30 *De Salis Cathartici*

misi Aquam iterum bullire: unde statim, Lac in Aquæ summitate coagulatum natabat.

Et omnino similiter, ex Spiritu Salis Cathartici Amari, eadem proportione admisto.

Postremò, Spiritū Salis Cathartici loco, Spiritum Salis communis, eūmque prædicto Spiritu fortiorē, deindéque Lac, eadem quā supra proportione immiscui; & Aquam iterum bullire permisi. Quo facto, Lac nihilominus in suo naturali statu, sine ullâ coagulatione, fluidum manebat.

CAPUT

C

C A P U T V.

*De Salis Cathartici Amari, à
Salibus Nitro, & Calcario,
Differentiâ.*

Neque magis idem Sal Catharticus, è Salis Nitri genere existimandus est : à quo, solo Sapore suo Amaro, satis distinguitur.

Nec minus Figurâ : quod Nitri Crystalli, non Quaternis Planis Parallelogrammis, sed semper Senis ; non Rectis Angulis, sed Obtusis, sint contentæ. Et quod harum summitates, Planis Inclinatis, vix unquam Quaternis, plerunque Binis, non infreuentur Senis, iisque magis quam in Sale Cathartico, inter se æqualibus, terminentur.

C 4 Deinde,

32 *De Salis Cathartici*

Deinde, & quòd Igni injectus,
nullo modo sitflammabilis : mul-
tò minùs , Nitri instar , in Flam-
mas rutilantes & sonoras, longè ma-
jori ex parte abit.

Dixi, majori ex parte ; neque
enim diffiteor, sed Capite tertio in-
nuimus, portiunculam , seu quasi
vicesimam partem, post deflagra-
tionem, fixam manere. Quæ ta-
men haud Nitrosa est , sed Sapore,
aliisque Qualitatibus, prorsus Lixi-
vialis ; è Cinere Ligneo, à Nitro-
pæis admista.

Sed & præterea ; Sal Catharti-
cus, supra Candelæ flamمام in
Cochleari collocatus , intra horæ
semimomentum difflit, & eodem
modo, ac si Igni injectus, bullis in-
tumescit. Nitrum autem hujus-
modi Calore, vix se patitur lique-
fieri : spatiū Saltem octuplo ma-
jus exigit, flammāmque splendidif-
simam.

Deinde

C

E

E contrà, licet difficiliùs, multò tamen majori fluiditate liquefit. Igni enim forti in Crucibulo immersum, non Aluminis, vel Salis Cathartici modo, ebullit: sed Resinæ, vel Metalli instar, fluit.

Quin & Exhalationes Opacæ, è Nitro in Crucibulo liquefacto ascendunt. Quales è Cathartico Sale, etiam si venementissimè ignito, nullas vidimus.

Adde, & Lac coagulandi proprietate, ab invicem distant. Nam Salis Cathartici semidrachma, Lactis bullientis semilibræ injecta, Coagulum generat satis conspicuum, diffluente Sero tenuissimo. Nitro autem simili modo, atque etiam longè majori proportione admisto, Lac nullo modo concrescit.

Nitri etiam solubilitas, illâ, quam in Sale Cathartico superiùs probavimus, triplo minor est. Aquæ enim communis Semiuncia, agita-

C 5 tione

34 *De Salis Cathartici*

tione, & manus hyberno calore adjuata, Salis Nitri, non supra sesquidrachmam imbibit.

Deinde, & Gravitate discrepant; quod sequenti modo expertus sum. Phialæ Cylindricæ infudi Oleum Terebinthinæ, donec ad trium Digitorum altitudinem ascenderet. Injectis deinde Salis Cathartici Amari Unciis duabus, Oleum ad quartum Digitum surrexit. At ex æquali quantitate Nitri depurati superinjectâ, Oleum haud supra Tres præterea Digitum Quadrantes fuit elevatum. Ergo, Sal Catharticus Amarus, Sale Nitro, quartâ parte minus gravitat.

Aqua tamen Sale Cathartico imprægnata, spatium, ratione ad mollem Salis habitâ, minus occupat, quam Sale Nitro imbuta. Hoc est, Aqua, loco Olei, cum Salibus Phialæ, ut supra, injecta; post factam solutionem prioris, magis quam posterioris, subsidet. Denique,

Denique, eadem proportione, Vitriolum Dantiscanum, Sal Armoniacus, & Nitri loco, Sal Catharticus Amarus misceantur, eodemque modo distillentur, ut fieri solet in Aquâ Regiâ conficiendâ. Jam verò, si Sal Catharticus esset è Nitri genere; Aqua hæc stillatitia, pariter ut Aqua Regia, Aurum solveret. Hujusmodi tamen Aurum solvendi vim, in hâc Aquâ nullam vidimus.

Multò minus est Nitrum Antiquorum. Neque enim Egyptium illud ab Hippocrate sæpe memoratum: neque ei non absimile, purpureum & acre, tam à Dioscoride, quam *Plinio* descriptum: neque demum istud, ab Aetio, Glebæ instar, ustum Vinóque extinctum.

NEQUE denique, Salis Calcarii Titulo est designandus. Lac enim Sale Cathartico, vel Aquâ ipsâ Catharticâ, multò astrictius, uberioriusque

36 *De Salis Cathartici*

riusque, quam Aquâ Calcis, coagulatur. Et quid si ab alterutrâ æ qualiter? Quot Liquores, antea nominati, Lac coagulant, qui non magis Calcarii, quam Aluminosi sunt?

Spiritus Nitri, Cremori Aquæ Calcis innatanti, vel etiam Lapi Calcario nondum ustò, instillatus; conspicuam ebullitionem generat. Eodem tamen Spiritu, Sal Catharticus nullo modo afficitur.

Nusquam major Saporis differentia, quam quæ inter Salis Cathartici, & Aquæ Calcis Saporem, reperitur: quippe huic, Lixivialis atque Dulcis; at illi, quodammodo Frigidus & Amarus.

Lapis Calcarius ustus, & non dum extinctus, Aquâ paucâ affusa, in pulverem statim ac sponte resolvitur. E contrario, Salis Cathartici pulverizata Calx, massa fit citissimè duriuscula, & in ali-

quot

quot momenta quasi lapidescit.

Aqua propè *Londinum* fontana illa, quæ insinuitur Imagine Agni Sacri, *Lambs Conduit Water* vulgo dicta; ex Aquâ Calcis affusâ, Coagulo quodam cæsio seu glauco, pariter ut Aqua Cathartica, brevi subalbescit. Ex Aquâ autem Salis Cathartici Calce imprægnatâ, nullâ opacitate, coloréve inficitur; sed manet, æquè ac dum impermixta fuit, limpidissima.

Aqua communis, Sale Cathartico Amaro imprægnata, & deinde evaporatione absumpta; eundem Salem, sine ejus dispendio, vel Labe, exhibet integerrimum. Aquæ Calcis, è contra, pariter absumptæ Sal, ex omni parte in substantiam insulsam ac lapideam immutatur. Cujus rei ratio est, quòd Aquæ Calcis partes Salinæ, Sali alicui Aereo adeò congruant intiméque aduniantur, ut aliud genere ter-

tium

38 *De Salis Cathartici*

tium constituant. Quemadmodum ex Oleis optimis Vitrioli & Anisi confusis, Resina propriè sic dicta, eaque si lota fuerit, insipida generatur.

Id quod etiam Experimento sequenti probatur. Aqua Calcis, tam in Phialâ subere clausâ , quam in Vase aperto, per septimanam vel diutius conservetur. In Phialâ , suam summitatem, nudam retinet : at in aperto Vase, scilicet ubi Aer liberè Aquæ accedit , insipido ac verè lapideo Cremore obducitur.

Aqua autem in quâ Sal Catharticus solutus est , & pluribus diebus Aeri in aperto Vase submissus, Cremoris lapidei ne particulam ostendit. Et Cremor, qui ex coctis Catharticis Aquis generatur , ipse etiam minimè Calcarius est ; ut antea probavimus.

Adde,

Adde, & egregiam in his Salibus solubilitatis differentiam. Salis enim Cathartici Amari Semiuncia, in Aquæ communis Sextanti, sine Calore, vel multâ agitatione, facile citoque solvitur. At in Calce vivâ, Salis semiuncia, Aquæ communis Congios duos cum semisse, hoc est Centum & Sexaginta sexantes (320 Uncias) imbibenda exigit. Tantundem enim Aquæ communis, ad Calcis vivæ singularem Unciam edulcorandam requiritur. Quo facto, Calcis insipidæ & levissimæ semiuncia, vel circiter, vasis in fundo remanet.

Cæterùm, Sal Catharticus Amarus, si nullo alio modo, à reliquis supra memoratis Salibus, suâ tamen Virtute Medicinali, eminentissimè distingueretur: ut in alterâ hujus Tractatûs Parte, de ejus usu, luculenter patebit.

Interim,

40 *De Salis Cathartici*

Interim, concedatur, tam Salis Nitri, quam Communis, atque etiam Gypsi Lapidis portiunculam, non modo Aquis Catharticis, sed forsan interdum & ipsi Sali Cathartico irrepsisse. Quid ergo? Et probabile est, Corpus nullum absolutè simplex in Rerum Naturâ inveniri. Plumbo vel Cupro, Argentum, Argento Aurum, in eâdem Fodinâ, Venâ, etiam Massâ Metallicâ, immisceri, nemo non novit. Neque tamen Argentum & Cuprum, vel Argentum & Aurum, constituunt Tertium Metallum: sed duo vel plura Metalla coexistunt separabilia.

Neque porrò, satis est ad definiendam Corporum Identitatem, quod in aliquibus Qualitatibus convenient. Nam & sic convenient Plumbum & Aurum: ambo sunt Corpora dura, opaca, ductilia, fusilia, graviora, &c. & proinde ambo,

bo sunt Metalla. At nil Aurum est,
quod omnes Auri Qualitates non
obtinet. Aurum tamen non plu-
ribus, non eminentioribus modis,
à Plumbo, quām Sal Catharticus
Amarus, ab omnibus prædictis Sa-
libus discriminatur. Ideoque est sui
generis Sal Nobilissimus.

CAPUT

C A P U T VI.

*De Naturâ Salis Cathartici
Amari, Observationes ad-
dendæ.*

Qualitatum hujus Salis modò descriptarum specificantium præcipua, est Sapor ejus leniter & penè simpliciter Amarus. Reliquorum Salium, quos novi, proximè omnium, Argenti Crystallī, Saporis similitudine huic accedunt. Nam hæ quidem Amaræ sunt; sed & intensè: nec sine summâ Austerritate conjunctâ.

† In posteriori
Exercitatione
de Mixtione.

A me alibi † obser-
vatum est, Lapidem Ca-
laminarem, nonnullas ha-
bere Qualitates cum Argento com-
munes. Instillavi itaque huic La-
pidi pulverizato, Spiritū Nitri
guttas

guttas aliquot. Et post inde factam effervescentiam, Aquâ communis affusâ Misturam dilui. Ista Aqua, non solum, instar Crystallorum Argenti, acerbissima est, sed & valde Amara. Unicum, quod sciam, Minerale, exceptis Argenti Sale, & Cathartico, Sapore Amaro præditum.

Utrum autem Sal Catharticus, ex aliqua Minera Argentea, perfecta, vel imperfecta; vel Lapii Calaminari cognata; an potius ex aliâ generetur; cum ejus Matrem Mineram, nondum adipisci potuerim, dubium relinquo.

Id interim è predictis Experimentis patet; Salem Catharticum Amarum, è quibusdam Partibus potentia Acidis, atque Alkalinis, iisdemque suo modo potentia Lixivialibus, esse compositum.

44 *De Salis Cathartici*

In Salibus autem, è variis Principiis compositis, Proportio, Natura, atque Unio Principiorum, sunt considerandæ. Videntur particulæ quædam Acidæ, Salibus etiam Lixivis admisceri; sed minori proportione. E contra, in Tartaro, hoc est Vini Sale, partum potentia Salsarum, minor est proportio; Acidarum, longè major. Et ferè similiter in Sale Cathartico Amaro. Cum hâc differentiâ, quod in priore, partibus Alkalinis, admisceantur Actu Acidæ: in altero, tantum in Potentiâ.

Porrò, omnes è Lixivio facti Sales, sunt Acriores. At Testacei, vulgò dicti, non sine ratione Leniores judicantur. Quemadmodum, & præ cæteris, nonnulli Liquores Acidæ, ut Succus Luju-læ, Cremoris Tartari Liquamen & hujusmodi. His verò omnibus,

Sal

Sal Catharticus suâ Lenitate præ-cellit. Spiritum quidem Acidum distillatione exhibit. Sapor autem Acidus, non nisi in Principiis ab Igne vehementissimo solutis & inquinatis sentitur. Quippe Sal ipse, nullam Acrimoniam, nullam Aciditatem sapis.

Neque tamen Sapore fatuo, sed acuto præditus est, & summè subtili: proindeque efficacius est Remedium. Hujus autem admiranda subtilitas, ex eo probatur, quòd quæcunque Vasa fictilia, si non optimè vitreata, penetrando, super eorum ambitu extimo, in formâ quasi Villofâ, Amianthi Lapidis instar, concrescat.

Hujus item Salis Principia, Mistrâ longè minus solubili, quam in Tartaro, multisque aliis Medicamentis fruuntur. Quorum nempe

45 De Salis Cathartici

pe Unio adeo stricta est ac intima, ut horum alterum, potentia Aci-
dum, non valde ultra sui dimi-
diā partem, etiam vi Ignis Re-
verberatorii, ab altero recedere
videatur. Unde factum est, ut
cūm alia Purgantia quæcunque
mitiora, Medicum non raro elu-
dant: hic Sal, nunquam suā vi
Catharticā destituitur. Ea enim
Medicamenta in Humani Corporis
Humores certius agunt, quæ mi-
nus Humorum vi sunt alterabilia.
In quorum numero, prædictus
Sal, aliisque Mineralia sunt repo-
nenda.

Postremò, Sal idem, quamvis
è diversis Principiis compositus,
purissimus tamen, si modò diligen-
ter paratus, censendus est. Ut ne
quidem millesimam partem cu-
juscunque rei extraneæ in se re-
cipiat. Nam si stillatitiam Aquam
hujus

hujus Salis Unciâ imprægnatam
evapores; ne granum Salis hete-
rogenei, aut Sedimenti Lapidei,
aut Cremoris particulam; sed
denuo, Salis Cathartici purissimi,
eandem Unciam præbebit.

P A R S

PARS ALTERA
DE
SALIS
CATHARTICI AMARI
U S U.
CAPUT I.

*De Salis Cathartici Amari
Usu generalius considerato.*

A Quarum Purgantium, nempe
Ebeshamensium, & ex eodem
Genere aliarum Usus, tam pra-
cellens

50 *De Salis Cathartici*

cellens est, tam multiplex, Medicisque nostris *Londinensis* in Praxi versationibus, tam scitè perspectus; ut de eo dubia, vix quidem audienda sunt. In Morbis enim haud paucis gravioribus, efficacissimum Remedium comprobantur, nullâ insalubri Qualitate præditum, & cui appositè præscripto, nihil unquam mali inopinatò supervenit.

Id unicum, nec sine quâdam Argumenti specie, forsan objicitur: quòd prædictæ Aquæ, inter coquendum, Lapideum Cremorem præbeant. Unde dubitare licet, an Lapi etiam in Humano Corpore generando, materiem suppeditent.

Ista autem Objectio, duplici Experientiâ refellitur; tam Illâ præcedenti, quam Praxi Medicâ. Patet enim ex antea dictis, hujusmodi Lapideum Cremorem, neque Aquis
Ca-

Catharticis, neque verò Aquæ Calcis, nisi Aeri in Vase patulo commissæ, innataturum. Ideoque, nec quid Lapideum, è sumptis Aquis Catharticis, in Humano Corpore generari.

At Humanæ Corporis Humoribus, immiscetur Aer. Esto: & omni Aquæ pariter immisceri, Pneumaticis Experimentis probatur. Sed qui nullo modo esset Lapidificus, nisi Aere coadjutus liberè influente. Adde, & Aerem Humanum Corpus, non sine Colatura subingredi.

Quod autem ad Praxin attinet, non Mihi Soli, sed & aliis Medicis, Noti sunt, qui postquam Aquas has Catharticas Viginti, aut etiam Triginta Annos, affatim & per multos dies continuos potârunt; nihilominus Arthritide, & Vesicæ Renūmque Calculo, semper immunes fuere, & perfectissimâ sanitate eti-

52. *De Salis Cathartici*

amnum fruuntur. Et jam antea memoratus N. D. North, qui Aquas tam *Ebeschamenses*, quām *Barnetenses* potārat; prædictorum Morborum, quinque & octaginta Annos vixit immunis.

Quin & ipsa Aqua Calcis, quæ Lapideū Cremōrem, Aeris admīstione citissimè producit; à Medicis sēpe, tutissiméque propinatur.

Et nostri *Londinenses*, repurgando Saccharo, Calcis Aquam nunquam non adhibent. Cujus ope, pars altera Mellaginea, melius secernitur ab altera Concrescibili; quæ summam inde albedinem & præstantiam acquirit.

Verūm, si Aqua ipsa Cathartica, quanto magis ex eadem paratus Sal, præstantissimi Remedii loco habendus est? Quod enim objicitur, contra Aquæ usum, si Argumenti gratiâ concedamus; idem

tamen

tamen contra usum Salis, ab omni Lapidificâ Substantiâ depurati, nihil faceret.

Porrò, ex sumptâ Aquâ, si fæce Muriaticâ, uberiori inquinata fuerit, graviusculè moveri Alvum, interdum contingit. At prælau-datus Sal, qui ab istâ liberatur, Medicamentum, Purgantium prope omnium, lenissimum existit.

A maligno insuper plerorunque Catharticorum genio maximè vacuus purusque est. Humores nunquam exagitat; Ægritudines, aut Deliquia nunquam excitat; aut Intestinorum Tormina: nunquam vel irritis Motibus, fallit Medicum, vel ex Hypercatharsí Ægroto terorem incutit.

Deinde, Aqua movendi vim, semper æqualem non obtinet: sed à siccâ humidâve Tempestate, tam Æstate quam Hyeme, auctam vel imminutam. Et ex Hydropolis

D 3 sunt,

54 *De Salis Cathartici*

sunt, qui Aquam Catharticam domi asservatam, cum defecturam viderint, temerare audent communī adiectā. Unde nonnunquam fit, ut Medici usitatam Dosis præscribendo, successu tamen usitato fraudantur. Ex Aquā autem purē & perfectè paratus Sal, ubique sui similis est, similēmque habet vim purgatoriam.

His adde, *Londinenses Medicos*, non crudas Aquas, sed plerūnque coquendas præscribere. Nempe hoc modo sumptæ, tam diminutā Dosi, quam auctā Vi, è Ventriculo & Intestinis fælicius descendunt. Æstivo tempore, ad duas tertias partes, Hyemali verò, ad dimidiam, coquendæ sunt; quod bihorium vel trihorium exigit. Verūm Aquæ Sal purgatorius, Liquore quovis conveniente, & forsitan semel bulliente solutus, semper in promptu est Remedium, valde

ac-

accommoſatum Pharmacopœis ;
Ægrotis, maximè : qui in urgen-
tibus Morbis, ex diurnâ Coctio-
ne, multum Doloris atque Tædii
ſuſtinent, & interdum periclitantur.

Postremo loco, neque tamen in-
ſimo, conſiderandum eſt, quòd A-
quæ, paulò diutius aſſervatæ, im-
primis Regione vel Tempeſtate
fervidâ, fœtore polluantur. At ca-
rundem extractus Sal, nullo aut
Loco, aut Tempore eſt corrupti-
bilis.

V E R U M nonnullos, etiam de
hujus Salis Salubritate dubitantes
prævideo : ſcilicet, quòd Spiritum
Acidum distillatione præbeat.

Iſta autem Objectio, contra u-
ſum Aquarum, utpote Salem conti-
nentium, etiam militat.

Quin & simili ratione, Sacchari,
aut Mellis, aut etiam purissimi Pa-
nis uſum ſuſpicaremur : è quibus

D 4 singulis,

56 *De Salis Cathartici*

singulis, Spiritus stillatitius, non
solum pari gradu acidus, sed &
valde acris, vi Ignis propellitur.
Et Vinum, Cibique Saluberrimi,
quorum Principia, solâ Fermenta-
tione, vel alio quoquam modo, de-
pravantur; Qualitates semper
noxias, interdum venenatas indu-
unt. Vel Infantium Alimentum,
Lac Maternum, si leni calore di-
geratur, brevi acescit. Sal au-
tem Catharticus, in aliquo proprio
vehiculo solutus, minimè suis so-
lutiis Principiis, sed Essentiæ Inte-
gritate, propinatur: eâdem, nimi-
rum, quâ Eduliis supra nominatis
vescimur. Nam ut Sal ipse, ita &
Aqua in quâ Salem solutum bibi-
mus, saporem præ se fert medio-
criter Amarum, sine quâvis Aciditi-
tate conjunctâ.

C A P U T

C A P U T II.

*De modo Salem Catharticum
Amarum præscribendi.*

IN quovis Vehiculo Patientis Temperamento conveniente, aut Gustui grato, solutus bibitur : cuius generis, sunt Aqua Fontana, Stillatitia, aliáve purissima ; Decoctum Hordei Orbicularis, vulgò Perlati, vel Avenarum tenue, vel ex Pane albo ; Lactis Serum cerevisiatum, vel decaseatum. Whey vulgò dictum, & his similia. Mihi in frequenti Uſu est Aqua parum cocta & Mace aromatizata. Cujus Libras duas, tres, vel quatuor, Salis Cathartici Semiunciâ vel Unciâ imprægnatas, præscribere soleo : vel etiam majori dosi ; *ex.gr.*

D 5

R Aquæ

58 De Salis Cathartici

R^e Aquæ fontanæ $\frac{1}{2}$ iiij. Macis 3j. Co-
quantur parum, & in Colatur à dissolve
Salis Cathartici Amari 3j. vel 3x.
pro Apozemate seu Decocto Cathar-
tico, manè, jejuno Ventriculo, calidè,
vel tepidè, interdum frigidè, bibendo,
bihorii spatio, cum levi Exercitio.

Sumatur hoc Apozema vel per se,
vel durante aliorum Catharticorum
operatione.

Convenit etiam, pro re natâ,
vel Senâ, vel Mannâ, vel utrâque
Maci adjectâ, Salis Efficaciam pro-
moveri: ut in sequenti, vel simili
formâ.

R^e Aquæ fontanæ $\frac{1}{2}$ iiij. Macis 3j.
Senæ Alexand. 3ij. vel iiij. Coquantur
parum. Deinde adde **Salis Cathartici**
Amari 3j. Mannæ albiss. 3iss. vel 3ij.
& f. Colatura.

N. D. Dudley North, primus
omnium Aquas Purgatorias cum
Lacte

Lacte bibebat. Sed ei Ventricum gravabant, quod permisquit frigidem. Postea, Medici, Aquas bullientes affuso Lacte alterabant. Quo modo, si cuiquam placeat, Sal & ipse tutissime sumatur: ex gr.

Rx Aquæ fontanæ libijß. Salis Cathartici Amari 3j. vel 3x. MS. Bullenti Aquæ affunde Lactis recentis libjß. Et auferatur coagulum colatorio.

Æstivo tempore, cum Fontes ubique Medicinales frequentari solement, Aqua vel Ferrata, vel etiam Purgatoria, ab ipsis Fontibus sumpta, Vehiculum esset optimum.

Hujus Salis Drachma, vel sesquidrachma, in Aquæ Tunbrigensis vel alterius Ferratæ tribus quatuorve primis haustibus sumpta, totidemque Auroris repetita, Humores prima que Vias, potationi propositæ, reddit paratores.

Aqua

60 *De Salis Cathartici*

Aquaæ Ferratæ, interdum Alvum astringunt. Cui Incommodo, hujus Salis portiuncula, in primo haustu, vel ultimo, dissoluta, subvenit.

Quin & utilissimè sumatur idem Sal, ex Aquis ipsis Purgatoriis. Quarum haustus singuli, Salis Cathartici 3j. imprægnati, tum multò certius, tum dimidio Numero, Ventriculum minus premente, per Alvum exeunt.

Interdum etiam, valdeque appositiè, Clysteribus acuendis, loco Salis Gemmei, Salis Cathartici 3ij. vel iiij. immiscentur.

CAPUT

C A P U T III.

*De Salis Cathartici Amari
Uſu ſpeciali: & imprimis
in Ventriculi Morbis.*

QUÆ de Aquis Catharticis ,
earumque Sale , jam proxi-
mè dicturus sum ; non incertis
Conjecturis, sed diuturnæ Experi-
entiæ, tam aliorum Doctissimorum
Virorum, quam Nostræ , iuditun-
tur. Qui omnes , utrumque Re-
medium, in Morbis postea memo-
randis, optimo successu usurpavi-
mus.

Imprimis itaque Aqua Catharti-
ca, vel ejus extractus Sal , Reme-
dium Ventriculo , Appetitum scili-
cet & Digestionem promovendo,
est amicissimum. Partim , ex suo
Prin-

62 *De Salis Catbartici*

Principio potentia Acido ; partim, ex totius Amaritudine, seu admisto Alkalino. Et è Priori, eò potius, quod Spiritui Salis, omnium Ciborum Condimenti, Spiritum præbeat aliquo modo congenerum. Sed & ex Altero ; quandoquidem & aliis plerisque Amaris corroboratum Ventriculum experimur. Et notissimum est, Appetitum, Salibus imprimis compositis adjuvari. Nam Condimenta ferè omnia, Muriā non simplici, sed acidulatâ, præparantur. Verum etiam Vinum rubicundum Galicum, ut cum Cibis est gratissimum, ita Tartareo repletur Sale, hoc est, composito, omnium aliorum maximē. Sal item Chalybis, putà compositus, inter Medicamenta Stomachica, est non incelebre. Et Digestoria bi-na ista universalia, Panis & Saliva, quorum alterum, Salem Acidum continet, alterum Alkalinum, compositi

positi Salis permista locum ſupplent. Cæterūm, Fermentum ipſum Stomachicum, ex Alkaliniſ particulis Acidisque, illis ab Arte-riis ſeu Sanguine, his ex parte à Nervis ſeu Spirituſ Animaliſ fæce, tralatitiis componitur: id quod ex Argumentis probare poſſim non paucis, quibus nolo h̄ic immorari. Quamdiu itaque in Ventriculo debita proportione aſſervatur uterque Sal, Coctionis opus recte perficitur. Sin alteruter prævaleat, Sales nunc Acidii ex uſu ſunt, nunc Alkalini, ad æquilibrium reſtituen- dum.

Quoties ex Cibo Potuſe Nimio, ſive improbo, vitiosa fit Concoctio, Vomitiones non rādo ſequuntur. Quibus cohibendis, Aqua Cathar- tica Amara, vel ejusdem Sal, Re- medium eſt prætantissimum. Eādem ſcilicet ratione, quā Miftura ex Salis Atſinthii & Limonum ſuc-

64 *De Salis Cathartici*

co celeberrima. Ei tamen ob id præferendum, quòd Sales quoquo modo peccantes , uno quasi Ictu , & destruat & è Ventriculo deturbet.

Proindè & in Cardialgiam, aliósque hujusmodi Dolores , nihil prædicto Medicamento tutiùs est, aut efficacius.

Quemadmodum & in Calidam Affectionem Hypochondricam.

In supradictos Affectus, Aquam hanc Purgatoriam , vel proprium ejus Salem , interdum solitariè sumendum præscripsi : Plerunque verò, non sine aliorum Remedio- rum, ut Venæsectionis, Vomitorii, & similiūm, conjunctâ ope. Quippe, Medici prudentis est, præcipue in Morbis gravioribus, nulli unico Remedio, quantumvis celebri, Ægroti Salutem, suæque Famæ aestimationem concredere.

Hu-

Hujusmodi autem Remedia, juxta Indicantia, infinitè sunt varianda.
Quorum tamen aliquot Formulas,
Doctissime Lector, subjunctas ac-
cipe.

In Dejeño Appetitu acuendo.

Rx Aquæ Spadanæ, vel alterius
Ferratæ, vel (si haberi non poter-
rit) **Fontanæ Maciatæ** libij. vel iij.
Salis Cathartici Amari ʒʒ. ʒvj. vel
ʒj. **MS.** Bibantur jejuno Ventricu-
lo, tepidéque.

Aquæ autem quæcunque Ferratæ, quo melius, hoc est, sine sui
subtilissimi Spiritus dispendio, etiam
tepidè, si visum fuerit, sumantur;
Ampulla in quâ servantur, Aquæ
calefactæ immersa, dilapsis aliquot
horæ momentis, aperienda est, &
deinde post singulos effusos haustulos
obturanda.

Duin hæc sumuntur, horâ ante
pran-

66 *De Salis Cathartici*

prandium, sumantur etiam ex Vini
Xerensis vel Absinthitis Rhenani
Cochleari uno, Elixyr. Propriet. gutt.
xx, xxx, vel xl. Persistatque in ho-
rum usu, quotidiano, vel alternis
diebus, ad quartam, quintam, vel
sextam vicem repetito. Vel,

Rx Conservæ Absinth. Rom. 3ij.
Cochl. Hort. 3j. Zinzib. cond. 3ß.
Specier. Arom. Garyoph. 3jß. Cert.
Wint. Salis Absinth. veri 2d 3j. Syr.
Caryoph. q s. MS. f. Elect. Capiat q.
Nucis Moschatæ majoris horâ som-
ni, & Juglandis minusculæ horâ
ante prandium, cum Vini supradicti
tantillo, vel sine eo, si Caput gra-
varet. Vel,

Rx Limaturæ Chalybis recentis &
splendidissimæ 3ij. Summit. Absin-
thii Rom. Mß. Rad. Cyperi Rom. Ca-
lamii Aromat. 2d 3j. Galangæ mi-
nor. Cinamomi acerrimi, Croci 2d
3ß.

ʒβ. Vini albi Gallici, vel Xerensis
ffij. Digerantur in Ampullâ obtu-
ratâ calore lenissimo, vel etiam in
loco temperatè calido, per triduum,
& agitentur quotidie. Capiat Co-
laturæ Cohl. ij, iiij, vel iiiij. bihorio
ante prandium quotidie.

In compescendis Vomitionibus.

Rx Aquæ cujuscunque Ferratæ, vel
ejus loco Aquæ fontanæ Maciatæ
ffij, vel iiij. Salis Cathart. Amari
3vj, vel 3j. vel 3x. MS. Bibantur ma-
nè, calidè frigidéve, prout maxi-
mè placent, & repetantur tribus
vicibus, vel pluribus, si opus fue-
rit, continuis diebus, vel alternis.
Et horum usui conjunge Pilulas se-
quentes.

Rx Rosarum rubrar. Cinamom. a-
cerrimi Ȑd 3j. Garyophyll. Salis
Chalybis Ȑd 3j. Croci Ȑf. Ol. Men-
thæ

68 De Salis Cathartici

thæ Stillatitiæ gutt. viij. Syr. Chalyb. q. s. MS. f. Pilulæ n°. xxiiij. Suntur tres bihorio ante sorbile prandium, & hora somni quotidie.

Aliquando Fomentatio ex Vino rubro cum Theriac. Andr. 3j. & floribus Rosar. rubr. foliisque Menthæ calidè infusis, esset utilissimum.

In Dolore Stomachi Colicæ Affectionis œmulo.

R Senæ Mund. 3ij. Macis 3j. Coquantur in Aquæ fontanæ q. s. ad lib. iiij, vel iiiij Colaturæ adde Salis Cathart. Amar. 3vj. vel 3j. vel 3x. Syr. Chalybis 3ijs. Misce, f. Apozema Catharticum, manè, & pro more bibendum. Vel etiam sine Senâ. Et sumatur vel per se, vel cum Pilulis sequentibus.

R Pi-

Rx Pilulæ Stomach. cum Gum. gr.
xxv. Limaturæ Chalyb. Subtiliss.
gr. x. Syr. Chalybis q. s. MS. f. Pil.
iiij. horâ somni sumendæ. Die
proximo sumatur Apozema ut su-
pra, & sic per Triduum, vel diu-
tius.

Interdum ex usu erit, Extractum
Gentianæ, vel alterius amari, Pilu-
lis admisceri.

Atque etiam Laud. Lond. gr. β.
vel gr. j. si Dolor intensior fuerit.

In Calidâ Affectione Hypochon-
driacâ.

Rx Aquæ cujuscunque Ferratæ
lb iiij, vel iiiij. In singulis haustu-
lis dissolve Salis Cathart. Amari ʒβ.
vel ʒj. ad octavam vicem circiter,
& bibantur frigidé.

Vel loco Aquæ Ferratæ, suma-
tur in Aquâ Lactis simplici, vel
fol.

70 *De Salis Cathartici*

fol. Boraginis & Pimpinellæ distilla:
â.

In Cardialgia cum Calore.

In hoc Morbo, simili modo, ac
in præcedenti, sumptus Sal, fælici-
ter succedit.

CAPUT

C A P U T IV.

De Salis Cathartici, Amari Uſu, in Intestinorum Partiumque adjacentium Morbis. Et primò, in Colico Dolore.

IN hoc Morbo, non opus est Doctum & Exercitatum Medicum admoneri, Venæfectionem raro aut nunquam omittendam, atque in primo loco celebrandam.

Deinde, consultissimum effet, Clysterem injicere hunc in modum paratum.

Rix Decoc̄t̄i communis pro Clystere fīj. addendo reliquis coquendis Senæ optimæ 3iij, vel 3ss. In colaturā. dissolute Salis Cathart. Amari 3ss. vel 3v.

Spec.

72 De Salis Cathartici

*Spec. Hieræ picræ ʒiſ. vel ʒij. Sacch.
rubri. ʒij. MS.* Ex hujus, vel hujus-
modi Clysteris usu, Dolores Colici
ſæpe dissipantur; vel Saltem inte-
riùs sumendis, & per Intestina
tranſeundis, via panditur.

Non raro Pilulæ Rudii Ʒj. vel
ʒiſ. cum Laud. Lond. gr. j. vel gr. jiſ.
exhibitetur utiliter.

Et nonnunquam *Hydrargyrum*;
ſi Ægrotus ſufficienti quantitate,
nempe quatuor vel ſex unciarum,
deglutiverit. Et præcipuè, ſi una
cum *Tincturæ Sacræ*, hoc eſt, *Tinct.*
Spec. Hieræ Picræ Vino albo para-
tæ, quaſi duabus Unciis, vel alio
Liquore Cathartico convenienti, ſu-
meretur.

Omnium autem Remediorum
Nobilissimum, Aqua eſt Cathartica
Amara, vel ex eādem paratus Sal,
ſequenti, vel ſimili modo ſum-
ptus.

R Aquæ

Rx Aquæ fontanæ vel fluvialis
Maciatæ ℥vijß. Aquæ fl. Chamæm.
vel fol. Menthæ ʒvj. Salis Cathart.
Am. ʒj. vel ʒx. Mannæ albiss. ʒiſſ. vel
ʒij. MS. fiat Apozema. Bibat Ægrotus
unâ vice circa ʒvj. calidè, & su-
matur horæ vel sesquihoræ spatio,
etiamsi ejusdem aliquam partem
evomuerit.

Hujus Medicamenti vis, nonnun-
quam fortior evadit, ex sequentis
conjunctâ ope.

Rx Tinct. Sacræ ʒij, iiij, vel iiiij.
Capiat Cochlearia j. vel ij. ante singu-
los Haustus Apozematis supra præ-
scripti.

In Vermibus.

Idem Sal, si Nutrix, è Drachmâ,
vel Sesquidrachmâ, Puerorum vel
Infantium Sorbilia paraverit sine
Lacte, Vermes exterminat.

E Præ-

74 *De Salis Cathartici*

Præcipuè, si Mercurii dulcis, aut Crystallorum (i. e. Salis) Lunæ vel gr. j. pro Patientis ætate, vel ij. vel iiij. in quovis Vehiculo convenienti, Medicus præmisserit.

Vel si Clysteribus amaris Sal Catharticus immisceatur.

In Dolore Nephritico.

In hoc Morbo, quemadmodum in Dolore Colico, plerunque cum Venæfsectione auspicandum est, eaque non raro repetendâ.

Cui etiam Vomitorium, ex Vino Benedicto, vel Sale Vitrioli, præcipue, si Ægrotus fuerit nauseabundus, aptissimè subjungitur. Cujus nempe Vi, non solum exoneratur Ventriculus, pars nonnunquam primo loco delinquens; sed & totum Genus Nervosum, Renibus conterminum, & hâc in Affectione maximè laborans, relevatur.

Postea,

Postea, præcipuè si ex Emetico
alvus non laxa fuerit, iniciatur se-
quens Enema.

Rx Flor. Chamæm. Mj. Sem. Cu-
mini, Fæniculi dulc. Petrosel. con-
tusor. $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$ Radic. Althææ incisæ
 $\frac{1}{2}$ contusæ $\frac{1}{2}$ ij. Coquantur in Aquæ
communis q. s. ad $\frac{1}{2}$ j. Colaturæ adde
Terebinth. Venet. Vitello Ovi So-
lutæ $\frac{1}{2}$ ss. Salis Cathart. Amari eti-
am $\frac{1}{2}$ ss. Syr. Althææ $\frac{1}{2}$ ij. MS. f.
Enema.

Si Dolores vehementiores fue-
rint, addantur Enemati Laud. Li-
quidi Cydon. gutt. XL. vel L. Ex
hujus, vel hujusmodi Enematis u-
su, non rarè, cum vel sine Cal-
culo, aut Calculosâ materiâ, U-
rina profluit, Doloresque evanesc-
unt.

E 2 Verum,

76 *De Salis Cathartici*

Verùm, si pertinaciùs adhuc hærerent, ad sequens Apozema, tanquam Remedium maximè Salutiferum, confugiendum est.

Rx Decocti Hordei Maciati libij.
vel iiij. Salis Cathart. Amari 3vj.
vel 3j. Syr. Althææ 3ij. vel 3iiij.
MS. f. Apozema. Sumatur calidè,
horæ, sesquihoræ, vel Bihorii spatio,
vel circiter, etiam si Ægrotus aliquam
partem evomuerit.

In Urinæ Ardore.

Idem valet Apozema, in Ardore Urinæ ; sive è Sanguinis Acrimonîa, sive Gonorrhæâ Venereâ oriundo.

In Suppressione Urinæ.

Atque etiam in Suppressione Urinæ, quæ vel sine Lapide contingit, vel sine majori, quam ut Vias Urianas transire possit.

At-

Attamen si dies aliquot Morbus duraverit, Sanguis primo loco, & liberiùs mittendus est. Deinde, & Enema paulo acrius, cum Syrupo è Spinâ cervinâ, *Sale Cathart. Am. &c.* immittendum. Cujus durante Operatione, prædictum Apozema, vel ejus aliquot Haustus, utilissimè bibantur. Præcipuè, si ante singulos haustus, Misturæ sequentis sumatur Cochleare unum.

R. Aq. Fænic. Saxifrag. $\frac{1}{2}$ ℥ 3ij.
Salis Succini 3j. Tart. Vitr. $\frac{1}{2}$ j.
Millep. pp. 3ij. Syr. Althææ 3j.
MS.

In Diabete.

In quo periculofissimo Morbigenere, si leni Evacuatione opus fuerit, cùm placidissimè moveat hoc Remedium, multumque refrigeret, omnium Catharticorum est Tutiſ-

E 3 simum

78 *De Salis Cathartici*

simum & serè unicum. Cujus ope, conjuncto Aquarum Ferratarum quarumcunque assiduo usu, & Hypnoticorum, nonnullos jam perituros, sed tamen Juniores, in Sanitatem restitui.

In Itero.
Etiam in hoc Morbo, Venæsecțio raro omittenda est. Imò vero, repetenda, si Ægrotus paulò magis febricitet.

Neque minori usui sunt Vomitoria: quatenus tum morbosam Colluviem Ventriculo exterminant; tum Bilem in suâ Vesicâ stagnantem proliciunt. Ideoque si opus fuerit, per Intervalla iteranda sunt. Imprimis, si horum aliorūmve Remediorum usus minus efficax, Calculorum, Mole suâ vel numero Pororum Biliarem occludentium, suspicionem ingerat: ubi prudenter & forti

forti animo persistendum est.

In quocunque autem Ictero, Calculoso, vel Simplici, Aqua Cathartica, vel ejus Sal, optimè propinatur, sequenti vel simili modo.

R_x Pilulæ Ruffi ʒʒ. Rhabarb. Salis volatile. Urinæ ⅔ ʒʒ. Syr. absinth. q. s. MS. fiant Pilulæ n° vj. horâ somni sumendæ. Aurorâ proximâ, sumatur sequens Apozema.

R_x Rasuræ C. C. ʒij. Coquantur in Aquæ fontanæ ℥vj. ad ℥iv. Deinde adde Macis, Curcumæ ⅔ ʒj. Et coquantur parum. Colaturæ adde Salis Cathart. Amar. ʒj. Syr. Chalybis ʒj. MS. f. Apoz. pro more sumendum.

Si Medico visum fuerit, loco Pillularum supra præscriptarum, præmittat Haustum sequentem.

E 4 R Tinct.

Rx Tinct. Sacræ ʒiſſ. vel ij. Syr.
ē Cichor. cum Rhabarb. ʒj. Tart. Vi-
triol. ʒſſ. MS. f. Haustulus horā sex-
tā vel ſeptimā matutinā ſumendus.
Post bihorium, bibat Apozema ſu-
pra præscriptum. Et repetantur
ſingulis vel alternis diebus.

Si Aloerica fuerint nimis calida,
propinetur Infuſum de Rhabarb.
ſc.

C A P U T

C A P U T V.

De Salis Cathartici Amari Uſu in Morbis Cephalicis. Et primò, in Mania.

In Maniâ, præter Venæfæctiōnem, & repetita Vomitoria, Unguenta etiam Cephalica, Setaceum in Nuchâ, Vesicatoria, præcipue Tibiis apposita, Cathartica, aliisque Remedia, plerunque adhibenda sunt.

In omnium autem Catharticorum, Helleboratorum, aliorūmve operationem promovendam, nihil magis convenit, quam Aqua Cathartica, vel Ejus Sal, hunc vel similem in modum præscriptus.

seq̄toſq̄

E 5

R. Fal.

82 De Salis Cathartici

Rx Fol. Melissæ, Boragin. ~~xx~~
Mj. Infundantur in Aquæ fontanæ
coctæ & ferventis ~~iiij.~~ vel v. in
Vase clauso per Semihoram. Colaturæ
adde Salis Cathart. Am. ~~zj.~~ vel ~~zx.~~
Syr. Viol. ~~zijj.~~ MS.f. Apozema, per se,
vel alio Cathartico convenienti,
posseti loco, bibendum. Vel,

Rx Salis Cathart. Amari ~~zj.~~ Dis-
solve ~~zj.~~ in haustu Aquæ Spadanæ,
vel cujuscunque Ferratæ, & biban-
tur hujusmodi haustus octo.

In aliorum Purgantium etiam In-
tervallis, præcipue æstivo tempore,
per se utilissimè, modo supra præ-
scripto, sumeretur. Nam Humo-
rum Spirituūmque Maniacam Con-
turbationem optimè compescit.

In Cephalalgia.

In quo Affectu, præcipue
ex

ex Causâ Calidâ, vel Calido Temperamento coniuncto, nihil efficacius, quam sequens, aut istiusmodi Methodus, in Re Medicâ inveni.

Imprimis sufficienti quantitate, locisque ex circumstantiis indicatis, mittatur Sanguis.

Deinde, prout Vires, aliâque monuerint, excitetur Vomitio, vel omittatur. Postea sumat Ægrotus sequentia.

R^x Scammonii ppⁱ, Rhabarb. pulverizati, Mercurii dulc. d^zd 3f. vel gr xij. vel xiiij. Syr. è Spina Cerv. q.f. MS.f. Pilulæ v. horâ quartâ vel quintâ matutinâ sumendæ, superdormiendo. Post horas tres, bibatur sequens Apozema.

R^x Aquæ fontanæ Maciatæ f^biiij. vel iiij. Salis Cathart. Amari 3vj. vel 3j. Syr. Viol. 3ij. MS. sumantur cum regimine.

Repetatur

84 *De Salis Cathartici*

Repetatur idem Apozema cum Pilulis Iupra præscriptis, tertio. vel quarto quoque die: Et per se, diebus interpositis. Continuantur autem duabus Septimanis, vel tribus, si opus fuerit.

In Vertigine.

Cum Sanguinis missione simili-
ter incipiendum est; præcipue, si Affectus ex nimio Vino proveniret:
& imprimis è Venâ Brachii.

Deinde Cucurbitulis cum Scari-
ficatione appositis, non solum Scap-
ulis, sed & ipsi raso Occipiti. Cui
Parti, tam in hoc Affectu, quam
in Cephalalgâ, & Oculorum In-
flammationibus, fælicius quam cui-
cunque alteri, admovendas, jubere
solo. Post Sanguinis missionem,
sumat sequentia.

R Pi-

Rx Pilulæ Mastichinæ 3ij. Ol.
Majoranæ stillat.gutt.v. MS.f. Pilulæ
hora ſomni ſumendæ. Aurorâ pro-
ximâ, bibatur ſequens Apozema.

Rx Aquæ fontanæ Maciatæ 1½ij.
vel iiij. Aquæ Salviæ Odoratæ 3iiij.
Majoranæ Hortens. 3ij. Salis Ca-
thartici Am.3vj.vel 3j. MS.sumantur
præscripto more.

Interdum ante ſingulos Haustus,
utiliter ſumeretur ſequentis Miſturae
Cochl. j.

Rx Fol. Majoranæ Hort. Salviæ
Odoratæ ⅔ 3ij. Rad. Gentianæ,
Specier. Hier. picr. ⅔ 3ij. Vini
albi optimi 3iiij. Digerantur ho-
ris duodecim in Vitro clauſo, &
deinde fortiter exprimatur Tinctu-
ra, per ſubſidentiam depuranda.

CAPUT

CAPUT VI.

*De Salis Cathartici Amari
Usu in Morbis quibusdam
aliis : & primò, in Passio-
ne Hystericā.*

IN quo Morbo, postquam Sym-
ptomata graviora Opiatorum
usu sedata fuerint : Tincturæ Sa-
cræ (Vini albi partibus duabus, &
Aquaæ Hystericæ parte unâ para-
tæ) ʒx. vel xij. vel ʒij. optimo suc-
cessu plerunque exhibentur.

Sin autem Medicus alio tempe-
ratori Medicamento Alvum mo-
vendam viderit : prælaudatum ,
cum lenissimè id perficiat, tutò bi-
bitur. Et majori cum fructu ,
si loco Aquaæ Maciatæ , eligatur
Aqua

Aqua Spadana , vel Melissæ, pro
Salis Vehiculo.

In Arthritide Vagâ.

Quæ vulgò Rheumatismus, sed
non sine Errore, nuncupatur. Cùm
hic, Partibus Musculosis , illa Ar-
ticulis solis obsidat. Morbus per-
tinax est, & non raro plurium Re-
mediorum Apparatum exigit.

Venæsectio reliquis præmitten-
da est ; & singulis, vel alternis die-
bus, iteranda, ad quartam, & si opus
fuerit, quintam, vel etiam sextam
vicem.

Post primam vel secundam vi-
cem, maximo sæpe ex usu erit Vo-
mitorium. Quamdiu enim Ven-
triculus se malè habet, Morbosam
Materiem Sanguini, Articulisque de
novo indies immittit.

Verūm

88 *De Salis Cathartici*

Verùm Cathartica, eaque fortiora, etiamsi interdum dies aliquot deferenda sunt; vix tamen unquam omittenda. Ut quæ potentiùs, non raro unâ vice, quam Phlebotomiæ ter quatérve repetitæ, Morbum enervent.

Horum autem Operatio, cùm Patientes ferè semper febricitent, Aquarum Purgantium, Earúmve Salis ope, multò leniùs, & sine Humorum Effervescentiâ, absolvitur. Suntur itaque sequenti modo.

Rx Pulveris Falapii resinosi 3ʒ.
Scammonii pp^ti gr. vij. Calomel. ʒf.
Syr. è Spina Cerv. q. s. MS. f. Bolus horâ quintâ matutinâ sumendus superdormiendo. Post horas tres bibendum est sequens Apozema.

Rx Hordei

Rx Hordæ perlati 3iſ. Uvar.
Passarum minor. 3iij. Bulliant in A-
quæ fontanæ q. s. ad tibiis. vel iiis.
addendo in fine, Macis 3iſ. Colaturæ
adde Salis Cathartici Amari 3j.
Mannæ albiss. 3iſ. vel 3j. vel 3iſ. pro
Apozemate.

Si Ægrotus difficilius moveatur,
& alia coindicantia monuerint,
addantur primo haustui Syr. è Spi-
nâ Cerv. 3vj. vel 3j. Et repetatur
Bolus cum hujusmodi Apozemate,
vel alternis diebus, vel tertio, quar-
tōve quoque die, prout Medico
visum fuerit, vel etiam majoribus
Intervallis, donec Ægrotus perfe-
ctam Sanitatem recuperaverit.

In Morbi principio, & augmen-
to, singulis, vel Saltem alternis
Noctibus, semper autem post sin-
gulas Purgationes, Humorum E-
bullitiones, & in Articulos novi
Influxus,

90 *De Salis Cathartici*

Influxus, Opiati convenientis usu,
cohibendi sunt.

Quoties, vel propter Febrem
paulò intensiorem, vel Patientis
Imbecillitatem, Purgatio proro-
ganda est; Vesicatoria, supra vel
infra Articulos affectos, quasi unam
vel alteram transversam manum,
applicantur summo cum levamine.
Et interdum adeò est effrænatus
ac præservidus Sanguinis Latex se-
rosus; ut ne quidem conjunctis di-
ctorum Remediorum viribus cedat,
donec Vesicantium ope, ex aliquâ
parte, à rubicundo & leni Cruore
secernatur.

In hoc Morbo, Sudores evocan-
tia, etiamsi uberiores, vix quid-
quam proficiunt. At Diuretica,
utiliter adhibentur: & ob eandem
causam, Apozemata ex Sale Cathar-
tico ut supra parata, magis conve-
niunt; cùm & Alvi fæces, & Urinas,
motu simultaneo propellant.

Cura-

Curationis tempore, à Vino, omnibusque Vinosis, & Cerevisiatis, non coctis, abstinendum est. Serum Lactis recens & coctione de-caseatum, Potulentorum omnium est præstantissimum.

In Pruriginoso Affectu.

Pruritum, non quidem Contagiosum, sed è Scorbuto genitum, nunc Corpus universum, nunc aliquas Partes, ut Pudenda, aliásve occupantem, ultimò præscripto Apozemate, cum vel sine aliis Purgatoriis repetito, sæpe medicavi ; & cruciatos nonnullos perpetuâque scalpturâ fatigatos, beavi requie placidissimâ. Imprimis, si Aquæ Ferratæ, Cerevisiæ loco, unâ quotidie, & affatim potarentur.

Idem Apozema, post exiccatas Variolas esset utilissimum.

Et

92 *De Salis Cathartici*

Et cum plerisque Catharticis com-
modè, posseti loco, bibitur.

Cæterùm, Eos, qui ex longo Itine-
re, præcipue æstate, alvum astrictam
habent; *Salis Cathart. Am. 3ij. vel ij.*
ex Aquæ font. haustu uno vel &
altero sumptæ, & laxos reddunt
multumque refrigerant.

CAPUT

CAPUT VII.

De Aquarium Amarentium, Earumque Salis Abusu.

OPortet Medicum, non solum
Remediorum Usum indicare;
sed etiam Lectorem præmonere de
Abusu. Qui tergeminam affert
Injuriam, Patienti, Medico, & Me-
dicamento.

Prædictum itaque, in quibusdam
Morbis neutiquam præscribendum
est. In aliis autem, Causarum &
Symptomatum ratio habenda.

Hydropicis quibuscumque nocet.
Ubi scilicet languescit Calor Nati-
vus, Sanguisque Spirituum, in ru-
bicundâ ejus parte nidulantium, est
pauperrimus. In his porrò usus Hu-
midorum, etiam in Cibis, Seri
San-

94 *De Salis Cathartici*

Sanguinei Influxum in Partes Morbo obrutas, accelerat.

Deinde, & Febre decubentibus Synochâ vulgò dictâ. Ubi, licet Causâ Morbi, interdum Alvum moventibus per ἐπίκρεαν minuenda est; mediocriter tamen Calida, ut Decoctum Amarum, Pilula Russi, & Similia, potius exhibenda, iisque Humorum Concoctio unâ promovenda. Et proinde, quæcunque nimia frigefactione huic adversantur, metuenda.

Neque verò Intermittente Correptis quidquam proficit.

Neque Chlorosi seu Febre albâ Laborantibus. In quibus calorificæ Fermentationes propterea excitantur, quod Humores nimis acescant, & Medicamentis magis Alkalinis edulcorandi sunt.

Hœmoptoicis etiam denegandum est. Ne eximia suâ subtilitate & penetrantiâ, Arteriarum reseraret oculâ.

Et

Et in Cholera Morbo. Ubi subitaneis Evacuationibus, maximæ Spirituum exolutiones superveniunt. Quales titubantis nimirumve proprantis Naturæ Motus, Cardiacis potius & Opiatis, per Intervalla sumptis, cohibendi. Postea verò, jam infracto Morbo, si Evacuatione opus fuerit, Patiensque Biliosâ Temperie, sive Connatâ præditus, sive Adventitiâ, supradictum Salem non incommodè potaret.

Quin & Paralyticis. Ne Musculos, Nativo suo Calore Vigoréve jam destitutos, magis enervet. Attamen, si ex Cautâ calidâ, ut ex Vino, aut Liquore quovis Vinoso, Morbus nasceretur ; Idem non solum tutò præscripsi, verùm etiam utiliter.

Non sine Cautelâ in Utero Grentibus permittendum est.

Nec

96 *De Salis Cathartici, &c.*

Nec quibus supprimitur Urina,
antequam perspectum habeas, id non
ex Ulcere Vesicæ Urinariæ, Calcu-
lōve inextirnabili provenire.
Nam si Ægrotus eorum alterutrum
pateretur, ab omnibus Diureticis
abstinendum est. Aliàs, hoc Me-
dicamentum, cum optimo sèpe
successu, hoc est, Urinarum, Lapi-
dūmque, etiam mæjuscularum ex-
cretionē, propinavimus.

F I N I S.

